R.mo ac sapientiss.o Athanasio Kirchero
Romano Mathematico

Eruditiss.o Linguarum Interpreti, ac diversarum gentium emeritiss.o
Peregrino.

Gaspar de Mere in S. T. formatus, Artium Mag.r et Mathematum
in Colimbricensi Academia professor.

S. P. D.

Et si abhinc octo mensibus Tibi duplici in mappa meum manifestavi desiderium: ita ut toto contenderem animo, Tuam obtinere benevolentiam, seu quod magis est, Tuas degustare litteras, ad quas ut mentis pabulum, seu Ambrosium, naturali quadam propensione, acri tendere animo expertus sum quotidie: iterum iterum, metum inter, et spem compulsus sum rem aggredi, quamvis in illud ipsum venire discrimen.

Μάτην ὁ Σίσυφος πέτρον ἄγει: At si meas epistolas memoriam deposuisti; laquear quod terrenum domicilium, per raptum ad caelestes globulos parvi feceris; sed minus nunc Te magis mihi obnoxium esse, novi adscribendi, existimo: scilicet quos per caelestia prata flores vidisti. Aut si de fontibus, stellis luminaribus: quare cum Tibi quod iam adest, deesset. Οὐρανογραφίαν nempe scientifice depictam tradere, atque caelesti naturam, proprietates aperire; quod ultra humanum investigasti artificium; ideo quod de Aristarcho olim dixerat Epictetus, de meo Athanasio promulgo. &c.

ὅτι εἰ μὴ Κίρχηρος ἐξ οὐρανοῦ ἐγέγραφει οὐδὲν ἂν εἶχεν οὗτος ἐφ' ᾧ σεμνύνηται. Propter quod, ut iam vides optatui meo, fortunam non factam respondere puto: dum Tua caelestia somnia in mentem confero, et Te novam inde Mathematicos stellam considero, atque confiteor. Age quaeso Mi Mag.r sic ut non dedigneris me Tuum agnoscere, et Tuas grataris litteras, quas tam avide habeo in votis, quantum Te ἀθάνατον desidero. Vale. Olysipone. Kal. Septembris. Anno Salutis. CIↃ. IↃ. C. LVI.

Tuae Dominationi

Addictiss.us et devotiss.us

Gasp. de Mere

R.mo ac Sapientiss.o P. Athanasio Kirchero
Societatis Iesu Presbytero, ac Mathematicae
Professori Eminentiss.o

Gaspr. Meré